



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

II. Vt metropolitanis sua iura seruentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

multum nos ea quæ a te pie sunt curata latificant, ita nimium ea quæ perperam sunt gesta contristant. Et necesse est, post multarum experimenta causarum sollicitius prospici, & diligentius præcaueri: quatenus per spiritum caritatis & pacis omnis materia scandalorum de ecclesiis Domini (quas tibi commendauimus) auferatur, præeminente quidem in illis prouinciis episcopatus tui fastigio, sed amputato totius vsurpationis excessu.

II.

25. quæst. 2.
Igitur.

Igitur secundum sanctorum patrum Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia consecratos, metropolitanos singularum prouinciarum episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, ius traditæ sibi antiquitus dignitatis intemperatum habere decernimus: ita ut a regulis præstitutis, nulla aut negligentia aut præsumptione discedant.

III.

In ciuitatibus, quarum rectores obierunt, de substituendis episcopis hæc forma seruetur: ut is qui ordinandus est (etiam si bonæ vitæ testimonio fulciatur) non laicus, non neophytus, nec secundæ coniugis sit maritus, aut qui vnâ quidem habeat, vel habuerit, sed nec qui sibi viduam copularit. Sacerdotum enim tam excellens est electio, ut hæc quæ in aliis ecclesiæ membris non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita.

Dist. 32.
Omnium
sacerdotum.

IV.

Nam cum extra clericorum ordinem constitutis, nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum: ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec subdiaconibus quidem connubium carnale conceditur: *ut & qui habent, sint tanquam non habentes*, & qui non habent, permaneant singulares. Quod si in hoc ordine, qui quartus a capite est, dignum est custodiri; quanto magis in primo, aut secundo, vel tertio seruandum est, ne aut Leuitico ministerio, aut presbyterali honori, aut episcopali excellentiæ quisquam idoneus existimetur, qui se a voluptate vxoria necdum frenasse detegitur.

1. Cor. 7.

V.

Cum ergo de summi sacerdotis electione tractabitur, ille omnibus præponatur, quem cleri plebisque consen-

In Decret.
Iuo. lib. 3.
dist. 63. Si
forte.